



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Experimentum malæ conscientiæ arguit talia colloquia. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

est & suspectum. Nam talia inanem faciunt hominem, & sancti propositi immemorem, & ad quietis & cellæ custodiam pigrum, & ad diuina cogitanda cæcum & insipidum. Rarè enim edificatio nascitur spiritualis hinc inde vagè cõferentibus. Abiq; certa speciali; tractandi materia, longa colloquia non expediunt: & his præcipuè temporalibus, quibus Deo familiaris vacandum esset. Nam summopere manè & vespere, ab omnibus humanis actibus & colloquiis cessandum est; quia hæ sunt horæ deuotionis, reparationis, emendationis, & propositionis. Et quia ista tempora negligenter ducunt, timendum satis, quòd per totum diem distractiores erunt, pluraque offendicula incurrent. Sæcra igitur illorù institutio religiosorum, qui arctiori silentio, post horam completorii vsque post primas insistant, potissimùm consideranda esset & imitanda.

Incõmoda  
ex proluxa  
locutione.

11. *Contra nocturna colloquia.*

**N**ON est bona quorundã consuetudo, sed execranda noctem sacram turbandi fabulis, quæ electa est & deputata tantum cælestibus disciplinis. Nisi enim præcaueatur vespertina seu nocturna inutilis fabulatio, sequitur multoties de manè longa dormitatio, & alia disconuenientia in reliquis Dei operibus: quia secundum quendam sapientem, Vno inconuenienti dato, sequuntur plurima. Et est deffenda vtique transgressio, dignèq; punienda, diem videlicet laboribus & distractionibus deducere, & ad vesperscente sole his deteriora audere; nec lapsum diei cursum per restantia quietis tempora aliquatenus rucocare. Incongruum omnino videtur, vt aliis deuotioni & quieti deditis, alij pascantur infelicibus fabulis: vnde sibiipsis grauè cõscientiã, reliquis autè scandali occasione, aut aliud puritatis impedimentum contra Deum & proximum peccantes acquirant.

Aristoteles.

12. *Experimentum mala conscientia arguit talia colloquia.*

**C**ONfessi sunt quidam experientia instructi, paruum se gratiam, tristitiã verò magnã, ex nocturnis contraxisse colloquiis. Quia si bona multa interfuerant, atq; prima intentio pura visa est, mala tamen arctius premebant, quæ qualicumq; occasione non defuerunt. Nam hoc multoties accidit, vt aliquid indecens, seu seculare, aut detractorium verbũ, dicatur aut audiatur, quòd non faciliter à corde recedat, & ex illo plus inficiatur auditor, vel grauius mordeatur postea, qui dixit, quàm de omnibus aliis sanè & acceptabiliter pertractatis emendetur. Cum enim homines valde fragiles simus, paruum & leue est, vnde non parum sæpela dimur aut inficimur.

Itempeffua colloquia conscientiam onerant.